



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. LIX. Quòd omnis spes & fiducia, in solo Deo est figenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

in regnum cælorum. Quicumque ergo humiliauerit se, sicut paruulus iste, hic maior est in regno cælorum.

*Mat. 6.* 10 Væ eis, qui cum paruulis humiliare se sponte dedignantur: quoniam humilis ianua regni cælestis, eos non admittet intrare. Væ etiam diuitibus, qui habent hîc consolationes suas: quia pauperibus intrantibus in regnum Dei, ipsi stabunt foris eiulantes. Gaudete humiles, & exultate pauperes, quia vestrum est regnum Dei, si tamen in veritate ambulatis.

*Mat. 5.*

### CAP. LIX.

*Quòd omnis spes & fiducia, in solo Deo est figenda.*

**D**OMINE, quæ est fiducia mea, quam in hac vita habeo? aut quod maius solatium meum, ex omnibus apparentibus sub cælo? Nonne tu, Domine Deus meus, cuius misericordiæ non est numerus? Vbi mihi benè fuit, sine te? Aut quando malè esse potuit, præsentem te? Malo pauper esse propter te, quàm diues sine te. Eligo potius tecum in terra pere-

peregrinari, quàm sine te cælum possidere. Vbi tu, ibi cælum: atque ibi mors & infernus, vbi tu non es. Tu mihi in desiderio es: & ideò post te gemere, clamare, & exorare necesse est. In nullo denique possum plenè confidere, qui in necessitatibus auxilietur opportuniùs, nisi in te solo Deo meo. Tu es spes mea, & fiducia mea; tu consolator meus, & fidelissimus in omnibus.

2 Omnes, quæ sua sunt, quærunt: tu *Phil. 2.* salutem meam, & profectum meum solummodò præ tendis, & omnia in bonum mihi conuertis. Etiam si variis tentationibus & aduersitatibus exponas, hoc totum ad vtilitatem meam ordinas, qui mille modis dilectos tuos probare consueuisti. In qua probatione, non minùs diligere debes & laudari, quàm si cælestibus consolationibus me repleres.

3 In te ergo, Domine Deus, pono totam spem meam & refugium: in te omnem tribulationem & angustiam meam constituo, quia totum infirmum & instabile inuenio, quidquid extra te conspicio. Non enim prode-

L s runt

runt multi amici, neque fortes auxiliarij adiuuare poterunt, nec prudentes consiliarij responsum vtile dare, neque libri doctorum consolari, nec aliqua pretiosa substantia liberare, nec locus aliquis secretus & amœnus conrutari: si tu ipse non assistas, iuues, confortes, consolers, instruas, & eustodias.

4 Omnia namque, quæ ad pacem videntur esse, & felicitatem habendam, te absente nihil sunt, nihilque felicitatis in veritate conferunt. Finis ergo omnium bonorum, & altitudo vitæ, & profunditas eloquiorum tu es: & in te super omnia sperare, fortissimum solatium seruatorum tuorum. Ad te sunt oculi mei, in te confido, Deus meus misericordiarum Pater. Benedic & sanctifica animam meam benedictione cælesti, vt fiat habitatio sancta tua, & sedes æternæ gloriæ tuæ: nihilque in templo tuæ dignitatis inueniatur, quod oculos tuæ maiestatis offendat. Secundum magnitudinem bonitatis tuæ, & multitudinem miserationum tuarum respice in me, & exaudi orationem pauperis

peris serui tui, longè exulantis in regione vmbre mortis. Protege & conserua animam seruuli tui, inter tot discrimina vitæ corruptibilis, ac comitante gratia tua, dirige per viam pacis, ad patriam perpetuæ claritatis. Amen.

FINIS.



L 6 THO-